

⊕ ⊕ NECROLOGIA ⊕ ⊕

† Pl. R. P. Carolus Sefelin (1896-1953)

(Prov. Austr.)



Die 29 Aug. 1953 Pl. R. P. Provincialis Dr. Carolus Sefelin ad oppidum Klosterneuburg prope Vindobonam sicutum autorhaeda publica vehebatur, ut in ecclesia Canonorum S. Augustini sermonem finalem tridui in honorem Patroni praedicati haberet. Cum e vehiculo descendisset viamque transiret, birota propria vi pulsa et a viro iuniori citissime ducta captus, capite in durissimum viae solum iactus atque immediate necatus est (1).

Is qui tam saeva morte e vivis sublatus est die 29 Augusti 1953, fere ante 57 annos, die 29 Octobris 1896 primum vitae lumen aspexerat Vindobonae. Piissima amita puero optimi ingenii viam in iuvenatum ducentem aperuerat, ubi prima studia gymnasialia optimo successu peregit. Belli magni primo anno noviciatu in Eggenburg facto, die 15 Aug. 1915 vota emisit. Studiis gymnasialibus proximo biennio in Leoben absolutis et periculo finali in gymnasio publico excellenter superato, Fr. cl. Sefelin in studentatu Mauternensi serio sacerdotium anhelabat, cuius particeps factus est die 15 Iulii 1921. Cursu theologicō absoluto, P. Sefelin in iuvenatu Katzelsdorf primum ut Lector et Socius Directoris et ex anno 1933 ut Director suboli Redemptoriana serviebat. Eadem officium durissimum erat a. 1938, usurpatoribus teutonicis ita volentibus, iuvenatum dissolvere.

Postquam anni dodrantem in cura animarum cum confratribus alterius domus Vindobonensis Hernals dura laetaque participavit, officia Rectoris ac Lectoris Theologiae pastoralis Mauternae subire iubebatur. Persecutione Ecclesiae et praesertim domorum religiosarum semper ampliore et duriore facta, sicut brevi ante iuvenatum, nunc venerandum studentatus collegium claudere cogebatur; prudenti autem viro contigit totam bibliothecam raptoribus conventuum subripere atque in domum Puchheim transferre, ubi iterum cursus studiorum instituebat et dirigebat. Usque ad annum 1952 Lector et Rector, deinde Lector et missionarius fuit. Multis diebus recollectionis, exercitiorum, hebdomadum religiosarum corda sacerdotum et populi christiani sibi conquisivit. « Labora, labora, neve quicquam loci da desperationi! Regnum Dei pervincit, sive tali modo sive alio! » sententia eius persaepe pronuntiata erat illo tempore persecutionis.

(1) Cf. etiam *RIS*, p. 218.

Episcopus clerusque Linciensis valde dolebant, cum indefessus ille operarius apostolicus Austriam superiorum reliquit, ut Oeniponte residens in Tirolide actionem suam continuaret. Praeprimis hebdomadibus religiosis matribus familias datis ibi P. Sefelin multa bona perfecit. Capitulo generali a. 1947 interfuit Vocalis Provinciae Austriacae, cui postea a P. Generali Leonardo Buys praefectus est. Munus erat gravissimum, quia e novem Provinciae domibus sex a regimine pagano raptae erant et tota Austria inter quattuor potestates victrices distributa, atque inter eas mox ortae dissidiae etiam Austriacis magnas molestias afferebant. Impigerrimus, constantissimus, tenacissimus iuvenatui Katzelsdorfensi reperiendo et alteri iuvenatui in oppido Ried pro parte Austriae occidentalis condendo adlaborabat. Domus studiorum in Mautern revivixit.

Omnes hae curae et sollicitudines minime arcuerunt P. Provinciale multarum missionum urbanarum et ruralium partem validam suscipere et diebus re-collectionis, exercitiis, sic dictis « hebdomadibus practicis » (*Werkwochen*) regenerationem Austriae religiosam maturare.

Director « Austriaci Instituti pro Cura Pastorali » (*Österreichisches Seelsorgeinstitut*) Canonicus Dr. Rudolf mortuum P. Sefelin nominabat « a Spiritu Dei pulsum infatigabilem servum et cooperatorem in laboribus pro regno Dei suscipiendis » (1). Huic iudicio omnes, qui truci morte ereptum neverunt, plane consentiunt. Dirae mortis circumstantiae nostros audientes primo momento horrore et moerore affecerunt, nemo autem dubitavit, quin P. Sefelin pro decem talentis acceptis viginti Deo reddere potuerit et introiverit in gaudium Domini sui. R.I.P.

A. NEUGEBAUER - H. NIEMANN